



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 6. Virginitatem servandi, & tuendi, Motiva.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Novi Virginitatis vim; novi hujus certaminis contentionem: quantum hoc habeat proclium difficultatis, intelligo. Vehementi quodam, & fortî, animò opus est; & qui nullum habeat sensum voluptatis: quandoquidem per candentes carbones, ut non aduraris: per mucrones gladiatorum, ut non faucieris; est incedendum. Ea est enim libidinis vis, ut cum igne, & ferrò, conferatur. -- Quamobrem adamantinâ quâdam rationis vi, oculis nunquam somno conniventibus, summâ tolerantîâ; muris etiam firmis, opus est, quibus muniamur: vigilantibus præterea, fortibusque custodibus: imprimis verò divinâ gratiâ indigemus adjumentò. S. Chrylost. l. de Virginit.

Paupertas eis in pretio est: & eò amplius, quò ex ipsâ major approximatío fit ad sponsum; qui pauperes requirit; sed divites non repellit. Verumtamen Virgo pauper propior accedit ad Crucem, nuda rebus temporalibus. Virgo nudam crucem astringit ardentius; & tantò illius arboris fructus gustat sapidius, quò sibi fructum terrenarum arborum interdixit. Sim. Cass. l. 2. in Luc. 2.

Convenit dicatis Deo Virginibus civitatem Nazareth incolere; propter florem campi, & lilium convallium, Dominum omnium Christum; ad florendum per eum, & juxta eum, ad aliam vitam: quoniam in ista nihil manet, aut floret; quod in vespere non decicat, & arescat, & marcescat. Id. ibid.

Deus posuit in firmamento Virginem intrâ Libram, & Leonem: ut hinc temperantiâ, inde fortitudine, se muniat. S. Basilus or. 8. de Joseph. fugâ usus pro armis.

§. VI.

Virginitatem servandi, & tuendi, motiva.

Bonum est homini mulierem non tangere. 1. Cor. 7. 1. Dices: Gen. 2. 18. dicitur: non est bonum esse hominem solum. Respondeo: Deus in Genesi loquitur de bono speciei; Paulus de bono individui. Deus tempore Mundi vacui; Paulus pleni. Deus

de bono temporali; Paulus de bono vitæ spiritualis, & æternæ. Cornelius hic.

Virga es, ô Virgo; non curveris, non inflectaris in terram; ut in te flos paternæ radicis ascendat. Hortus clausus es Virgo; serva fructus tuos: non ascendant in te spinæ; sed uvæ tuæ floreat. Hortus clausus es, filia: nemo auferat sepem tui pudoris - Paradisus es Virgo; Evam cave. Fons signatus es Virgo: nemo aquam tuam polluat, nemo conturbet; ut imaginem tuam in fonte tuo semper attendas. Porta clausa es, Virgo: nemo aperiat januam tuam, quam semel clausit sanctus, & verus; qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit; & claudit, & nemo aperit. Apoc. 3. 7. S. Ambros. l. de inlit. Virginis c. 9.

Splendebas, ut argentum; fulgebas ut aurum; quando cum sincera conscientia procedebas. Eras tanquam stella in manu Domini. Apoc. 1. 16. Quæ ista subitanea conversio? De Dei Virgine facta es corruptio Sathanæ, - de habitaculo Spiritus S. tugurium diaboli. Quæ incedebas cum fiducia, ut columba, nunc lates in tenebris sicut stellio: quæ fulgebas ut aurum, propter Virginitatis honorem; nunc vilior facta es lutò platearum. Idem lib. ad Virginem lapsam c. 2.

Cave, quæso, nè quando de te dicat Deus: *Virgo Israël projecta est in terram suam, & non est, qui suscitet eam.* Amos 5. 1. Audenter loquar: cum omnia possit Deus, suscitare Virginem non potest post ruinam. - Rectius fuerat homini, subijisse conjugium, ambulasse per plana; quàm ad altiora tendentem in profundum Inferni cadere. S. Hieron. ep. 22. ad Eustoch. de Virginit. custodia.

Virginitas, si perditur, irrecuperabile bonum. Poterit siquidem poenitens misericordiam consequi; non autem coronam assequi virginalem: neque illud cantare Canticum, quod solum centum quadraginta quatuor milibus coram agno cantare concedetur. Sim. Cass. l. 2. c. 1.

Virginitas vitrò debilior: vitrum enim non frangitur, nisi tangatur: Virginitas autem solò visu concupiscentiæ læditur. S. Vires. Ferr. f. de S. Agnete.

